

# ANDREAE PLACO

SVO, IUSTINVS GOBLERVS.

S. D.



**D**EGVSTAVI iam obiter, te ita iubente, & quantum occupationes meae, & temporis angustia ferebat, Lexicon tuum Biblicon inchoatum, Andrea obseruande: cuius mihi gustus sane, vt ingenuè quod sentio dicam, non potuit non mirificè placere, cum ob copiosam illam pariter & genuinam Biblicarum dictionum explicationem & interpretationem, ex optimis quibusq; & Classicis authoribus desumptam, tum quod sperem hac opa tua cordatioribus multo ac elegantioribus breui nos sacrarum literarum tractatores habituros esse, maximè in his Rheni finibus. Neq; enim nihil momenti habere arbitror in rebus diuinis, ipsaq; theologia dictionum virtutem & cognitionem: cuius cum prioris saeculo ab his qui sibi visi sunt cumprimis θεολογῆμ, ratio aut nulla aut propemodum inepta sit habita, cognoscebas ipse quam frigidis, quam abhominandis, etymologiarum & glossematum portentis, sanctissimum illud Bibliorum opus defœdassent & conspurcassent verius quam elucidassent vani quidam ac insulsi homines, adeo, vt tua iam tuique similibus honorum virorum absterfione & repurgatiõe vehementer sit opus. Videbas etiam diuina praecepta, & ipsam quidem euangelicam veritatem, & iucundius illabi, & acrius insidere in animis, eiusmodi verborum puritate commendatam. Proinde cum bonam operam nauare visus es, vt qui meliori iudicio, melioribusque literis praeditus tam salubrem iuxta ac necessariam rem ausus sis tentare atq; suscipere, non potui tibi non occinere magni Poetae carmen illud. *καὶ σὶ φίλῳ, μάλα γὰρ ὁ ὄρω καλόντε μεγάντε. Ἄλκιμός εσθ' ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνωμ εὐ εἴπωμ.* Id est, Tuq; age quando te video magnumq; bonumq; q; strenuus esto, vti tete & postera praedicet aetas. Porro extimularem te pluribus, nisi forte te viderer, *ὄμ τρέχοντα*, quod dicitur *ὄτρύνειμ*, hoc est, currentem incitare. Sed quid vetat admonere te eius, quod aliò qui sponte tua eras facturus, quandoquidem verum esse illud nosti, quod Ouidius ait: *Acer & ad palmam per se cursurus honores. Si tamè horteris, fortius ibit equus.* Idcirco mi Place, quamuis durus & permolestus est labor iste, tamen ne dubites, quin & gloriosus tibi, & prius omnibus bonisq; viris gratus ac utilis, mihi etiam iucundus sit futurus. Vale vir amicissime, & quod recte coepisti, gnauiter perface. Ex Museo nostro Confluentino. Calend. Septembribus. Anno M. D. XXXIII.

## AD LECTOREM DICTIONARII

Placi Epigramma Iustini.

**V**t placeat multus labor hic tibi Candide Lector  
Oratum vult te noster habere Placus.  
**N**ec sibi quid precij cupit amplius: aut quid honoris.  
Quam gratus sumas quod tibi fecit opus.  
**I**s quia diuinis pariter melioribus ardet  
Doctrinis, deinceps his meliora dabit.  
**I**nterea accincto bene ad hoc iter vsq; precare.  
Sic te Iustinus: sic rogat ipse Placus,

**A**liud in osorem & inuidum, ab eodem  
Iustino ex tempore lusum.

**C**ontra homines iustos poteris nihil improbe liuor,  
Magna Euangelio laus erit ipse Placus.  
**H**unc si tu laceras, Christus tamen vsq; fouebit.  
Qui poterit tete perdere liuor edax.